

culis claruit. S. Cælestinus V. Pontificatu, quem quinque gessit mensibus, sponte se abdicavit, non Card. Benedicti Cajetani ejus postea successoris instinctu, uti testes omni exceptione majores asseverant, sed amore sacræ solitudinis, cui à puero assueverat. Bonifacium VIII. libertatis, juriúmque Ecclesiasticorum assertorem ac vindicem strenuissimum, quem idcirco Philippi IV. Galliæ Regis asectæ & assentatores atrocissimis calumniis proscindunt, omni sceleris suspicione absolvunt tum scriptores coævi, neutri parti obnoxii, tum ejusdem Pontificis cadaver annis ab obitu trecentis A. 1605. 15. Octob. Româ, imo & Ecclesia universa applaudente omnis corruptionis expers inventum tum demum pœnæ gravissimæ Philippo à DEO ob Vicarium suum tam indignè habitum irrogatæ, uti in opusculo IV. innuimus.

3. Quis Ecclesiæ status?

Innocentius IV. quinq; gravissimas, quibuscum Ecclesia tunc conflictabatur, calamitates cum 5. Christi vulneribus comparabat. Has inter prima erat Græcorum schisma. 2. Hæreses per Galliam potissimum grassantes. 3. Terræ sanctæ amissio. 4. Friderici II. Imperatoris Ecclesiam, cujus *Advocatus* ac *Defensor* ex officio esse debuerat, multifariè vexantis violentia. 5. Tartarorum in terras Christianorum irruptio. Atque his aliisque machinis pœne innumeris Ecclesiæ arx oppugnari quidem, at expugnari nunquam potest. Hac spe fiduciaque animatus Simon Monfortius A. 1213. cum mille duntaxat peditibus, equitibusque octingentis centum millium hæreticorum exercitum ad urbem Tolosam